

DISSERTATIO INAUGURALIS xv.
DE
APOSTOLIS EBRÆORUM,

quam

Jussu summè Venerandæ Facultatis Theologicæ

PRÆSIDE

VIRO MAGNIFICO, SUMME REVERENDO, AMPLISSIMO

ATQVE EXCELLENTISSIMO

DOMINO

DN. D. JO. FRID. MAYERO,

S. Palatii Cæsarei Comite, Consiliario S. R. M. Sveciæ, Sereniss. Duc. Hol-
satiæ, & Reverendissimæ Abbatissæ Quedlinburgensis in Sacris Primario,
Universitatis Gryphiswaldensis Pro-Cancellario Perpetuo, & Professore
Theologiæ Primario, Consistorii Regii Præsidi, Pomeraniæ Svecicæ Rugiæq;
Superintendente Generali, Pastore ad D. Nicolai, & Facultatis Theo-
logicæ h. t. DECANO,

Patrono, Præceptore, Promotore, atqve Hospite
summa observantia ac pietate colendo;

**Pro primo in Theologia Gradu,
quem Baccalaureatum**

vocant

ad d. Junii 1704.

placide Eruditorum disquisitioni

offert

**M. LAURENTIUS DAVID Wollhagen/
Stargard. Pom.**

GYPHISWALDIÆ,

LITTERIS DANIELIS BENJAMINIS STARCKII,
REG. ACAD. TYPOGR.

M. Pultman

I. N. J.

S. I.



Um multis admodum

significationibus nomen illud ἀποστολων involvatur, paucis eas discutiemus, anteqvam rem ipsam aggrediamur. Usurpatum vero & de rebus & de Personis id legimus, diversa tamen inter Græcos, Christianos, & Judæos ratione. Ac Græcis quidem Scriptoribus adjectiva quandoque vox est, ut πλοια ἀποστολα navigia illa, quæ à Thalasiarcha hincinde mittebantur, prout in re navali usitatius hoc nomen fuit; plerumque autem vox substantiva. Sic enim observat Harpocration ex Demosthene in voce ἀποστολεις & ex utroque Suidas nomen ἀποστολα quandoque τὰς τῶν νέων ἐκπομπὰς ipsas navium emissiones indicare. Unde ex ipso nomine Apostolicus modus, ut admodum bene licet conjicere, is erit, qui convenit τοῖς ἀποστολοῖς, vel ἀποστολεῦσι, quæ sunt Præfecturæ nauticæ vocabula secund. Casaub. in Athen. L. 14. 7. Et sic ἀποστολοι idem quod ἀποστολαὶ apud Hesychium ἀποπέμψεις πόμῳται emissiones significant, restituenda ea voce loco τὰ ἀποστολαὶ, ut mendosè lectum. Ita quoque ἀποστολον in re nautica dixere τὸν στόλον, seu jam ναυγιῶν, ex Hesychio τὸν πλῆν, τὸ πλοῖον, seu partem eam navigii quæ ἐμβολος, seu rostrum dicitur, aut quæ μετὰ τὸ ἐμβόλιον ἢ προεμβολίδος, ut Julius Pollux col. 26. pars anterior & superior quæ ad proram appellatur. Jcti Apostolos vocant

A 2

litteras

K-336/68

litteras dimissorias, quæ mittuntur à Judice à quo appellatum est, ad eum ad quem provocatum est, quibus adeo literis & reus & rei causa dimittuntur ad Tribunal superius. De quibus integram conscripsit dissertationem *Tilemannus Jena 1670.* Tandem in *Liturgia Chrystomi* ipsa lectio epistolæ post τὸ τριῶν ἰδὲν vocatur ἀποσόλῃ, e. g. καὶ τὰ ἀποσόλῃ πλὴν θείῃς ἁβσoluta lectione *Epistola*, quam sequitur lectio *Evangelii*.

II. Communius verò accepta est vox τῶν ἀποσόλων *de Personis*, ubi potestas aliqua & ὑπεροχὴ illa voce nonnunquam designatur, ut apud *Hesychium* in *Glossario* ἀποσόλῃ est στρατηγὸς καὶ πλὴν πεμψόμενος, *Dux cum classe missus ad navalem expeditionem.* Quin & *Internunciis* & *Sponsoribus*, νομφάγωγοι οἱ ἀγῶνες εἴρω τὴν νόμφην ἐκ τῆς τῆ πατρὸς οἰκίας, quibus *Sponsoriam* ex adibus *Patriæ ductam Sponsor* sistunt, nomine ἀποσόλων insigniti fuerunt, juxta illud *Rhavonini*, ἡ θέμις (μετὰ δεύτερον γάμον) τὸν νόμφον μετένα, ἀλλ' ἀποσέλλεται φίλον. *Non opus est post secundas nuptias, ut Sponsor quoque veniat, modo mittat amicum.* Magis autem generalius dicti adhuc sunt *Græcis* ἀποσόλοι οἱ πρεσβείες, πρεσβευταὶ ἀποσέλλομενοι μεσῖται εἰρήνης ἕνεκα etiam κύριες legati, ἀβλεγαὶ, mediatores in pacis negotio, & πρακόνες. Maximè diversa est illa vox ἀποσολεύς apud *Harpocratonem* & *Hesychium*, cuius etiam meminit *Emmianus in Veter. Græciæ T. III. p. 64.* de iis usurpata, qui disponunt omnia τοῖς ἀποσέλλομένοις ἐπὶ στόλων (ubi vulgo in *Hesychio* est ἀποσόλων) τῶν διὰ θαλάσσης. Στόλοι autem sunt πλοῖα naves multæ, seu classis navalis. Tandem quoque apud *Athenienses* hocce obtinuit nomen, ab *Episcopis* planè diversum, sic dicebantur

οἱ πεμ-

οἱ πεμψόμενοι εἰς τὰς ὑπερκῆς πόλεις ἐπισκέψασθαι τὰ παρ' ἐκάστων, qui mittebantur ab *Atheniensi Magistratu* ad urbes sibi subjectas inspecturi, *Laconibus* dicti ἀρμος αἱ.

III. Omnes autem hujus vocis acceptiones jam jam memoratas *CHRISTUM* non attendisse, cum suis à *LXX.* distinctis, & segregatis discipulis nomen τῶν ἀποσόλων imponeret, maxime verisimile est; cum & ratio impositionis ad officium illud *Apostolicum* minime quadret. Unde à *Judæorum* usu hanc impositionis rationem petendam esse, celeberrimi quondam *Viri* judicarunt. Imo *Grotius* vice plus simplici, *Totum regimen Ecclesiasticum conformatum fuisse ad Synagogarum exemplar* docuit. Cui doctrinæ assensum præbuere, qui presse *Grotii* legit vestigia *Hammondus*, *le Moigne*, *Ligfootus*, *Simonius*, & *Campegius Vitringa*, atque hi omnes dignitates ad amissim *Synagogarum* examinare fatagunt. Præprimis *le Moigne Var. Sacr. Tom. II. p. 23.* *Episcoporum*, *Diaconorum*, *Pastorum* & aliorum officia cum *Judæorum* sic dictis *Synagogarum* ministris confert. De quibus alibi uberius erit dicendi locus. Id autem h. l. monendum esse duco, sæpius in iisdem non id, quod intenderunt exhibuisse, ubi omninò diversa & officiorum imo & nominum erat ratio. Quid? quod sæpius denominationis rationem sibi finxere vocibus *Ebraicis* planè non accommodam. Id quod *Cl. Reinferdius Doct. Campegio Vitringæ* in suis *dissertationibus de Decem otiosis* ad oculum ostendit. Pari passu etiam nonnulli ambulantes in explicatione nominis ἀποσόλων & ejusdem officii, ut ut derivationis ratio plane aliena videatur; id quod ex inferius dicendis clarius patebit.

A 3


IV. Ebraeis

IV. Ebræis ἀπόστολος ἠλῶ, vel ἠλῶ, vel ἠλῶ dicebatur nuncius quilibet. Siquidem ἠλῶ tam de Angelis quam de Prophetis aut Sacerdotibus usurpata vox, proprie ἀπόστολοι, πρεσβεία missum legatū, significat, radicis ἠλῶ quæ apud Æthiopes & Arabes mittendi significatum retinet. Et hinc Salvator etiam Apostolo Paulo *Hebr. III. 1.* ἀπόστολος dicitur, qui toties ἠλῶ appellatur, excellenter nempe talis ratione & mittentis, & missi. Cum vero ἠλῶ ut plurimum reddantur per ἀγγέλους maluit eos CHRISTUS venire Legati nomine 1. Tollendæ ambiguitati, quæ est in voce ἀγγέλων, quali appellari consueverunt administratorii Spiritus. 2. Ut distinguerentur ipsa appellatione ab Angelo fœderis, qui Angelus Domini καὶ ἔξοχόν, *Mal. III. 1.* 3. Ut etiam à præcursores hujus Baptista, nempe qui ἀγγέλους κυρίου, *Matth. XI. 10.* quomodo nuncii Joh. Baptistæ, ἀγγελοι Ἰωάννη ἀπὸδιδόντες apud Lucam nuncupantur. 4. Cum primis ne intelligerentur missi ad breve tempus ad ferendum modo nuncium, quo sensu ἀγγελοι sunt nuncii hujus vel illius rei ἠλῶ uti CHRISTUS ἀπέστειλεν τὸς ἀγγέλους misit nuncios, *Luc. IX. 52.* qui præpararent sibi hospitium: sed ut intelligerentur eo missi & legati, qui Characterem hunc suum perpetuo retinerent. 5. Quia Apostolus respicit auctoritatem mittentis & missorum, quæ non omnium fuit, sed paucorum, quos ad id elegit CHRISTUS. Quæ omnia eruditè docuit *Fridericus Spanhemius Fil. in Diss. de Apostolatu & Apostolis p. 246.* Maluit autem Salvator illos ἠλῶ vel ἠλῶ vocare, tunc temporis Syriacè vel potius Chaldaicè loquens, ut illos à ἠλῶ, quos multos habe-

bat

bat, discerneret. Non autem usum Judaicum plane ab hoc diversum respexit.

V. Dicti autem propriè ac principaliter *Duodecim illis discipuli*, à Spiritu S. Apostoli, qui cum eximia potestate mittebantur, testes nimirum omnium rerum, CHRISTI dum in terris vixit, fuerunt. Plurimi præterea hocce titulo insigniti, ita ut sæpius adjutores Apostolorum hoc nomine veniant. Sic Titus *2. Cor. VIII. 23.* Andronicus & Junias. *Rom. XVI. 7.* & Epaphroditus *Phil. II. 25.* Apostolorum titulo insigniti. Quamvis nonnulli de Epaphrodito vocem ἀπόστολον de Prophano accipiant ministerio, velintque Epaphroditum ab ipsis Philippensibus ad Paulum quasi legatum missum, ut quæ ipsi necessaria essent deferret: non possum tamen in hanc sententiam concedere, cum nomen ἀπόστολος nunquam à Paulo, nec ab aliis Apostolis, & Evangelistis nisi de Sancto Ministerio usurpatum invenies. Pari ratione apud veteres Scriptores ita dicti Lucas & Marcus Evangelistæ, Timotheus, Philemon, & reliqui Apostolorum συνεργοί: sic & Clemens, Ignatius, imo singulæ gentes, & urbes eos, à quibus primam Evangelii veritatem acceperant, *Apostolos* nominabant. Unde *Hammondus de jure Episcop. diss. IV. c. 3.* colligit, dignitatem Apostolicam ab Episcopali plane non diversam, sed ejusdem esse Ordinis ac valoris. Idque ex nominibus eorum evincere conatus, dum sæpius etiam vocentur Episcopi, qui tamen alibi sunt Apostoli dicti. Præprimis autem urget celebrem illum Theodreti



doreti locum, qui est in Commentariis ejus in I. Epist. ad Timoth. Ἄλλα, ὅπερ ἔφη, Ἰησὺς αὐτοὺς ἐκάλεσε καὶ πρὸς πρεσβυτέρους, καὶ ἐπισκόπους ἀποστόλους ὀνομάσεν. Τὰ δὲ χρόνια προιόντα ἰδὲ μὲν τῆς ἀποστόλης ὄνομα τῆς ἀληθοῦς ἀποστόλους κατέλιπον, ἴην δὲ τῆς ἐπισκοπῆς προσηγορίαν τῆς πάλαι καλεσμένοις ἀποστόλους ἐπέθεσαν. Verum quod jam dixi, eosdem olim presbyteros appellabant & Episcopos, quos autem Episcopos hodie nominant, Apostolos vocabant. Procedente deinde tempore Apostolatus nomen iis, qui verè Apostoli dicti sunt, reliquerunt: Episcopatus autem appellationem iis imposuerunt, qui quondam Apostoli nominabantur. Nec non ex Rabano Mauro in I. Timoth. IV. 14. id evincere conatur, qui de primis istis temporibus scribit, Episcopi provincias intergas regebant Apostolorum nomine nuncupati. Sed erudite admodum contra hasce exceptiones Cl. Salmasius sub Walonis Messalini nomine, in lib. de Episcopis & Presbyteris c. I. defendit, Apostolos dignitate Episcopos superasse. Idque facit cum ex dicto Ephesino c. IV. 11. ubi Apostoli illis præmittuntur, tum etiam explicando mentem Theodoretii: quæ hæc est; Qui nunc sunt Episcopi cum potestate, & auctoritate supra cæteros eminente non tunc fuisse Apostolis notos, cum Episcopi iidem Presbyteri essent ac dicerentur. Episcopos enim illos Presbyterosque simul dictos, quales olim constituebant in singulis civitatibus Apostoli, pares inter se omnes fuisse, neminem superiorem agnovisse. Eos igitur, qui nunc sunt Episcopi cum hac præ eminentia super Presbyteros olim Apostolos esse nominatos. πρῶτως nimirum ita 12. dicebantur Salvatoris discipuli, quos è discipulorum numero ele-

git.

git. Quare autem Salvator tantum duodecim adoptarit ut genuinos discipulos, varias ob rationes multi id conjicere volunt. Alii XII. Legatos ad Canaan explorandam missos, alii Prophetas, alii aliud Salvatorem respexisse, dum à turba discipulorum eos segregaret, autumant. Simplicissimam omnium sententiam eorum judicat B. Gerbardus in Harm. Ev. c. L. T. II. p. 404. qui populum in 12. tribus distinctum typum esse hujus duodenarii numeri dicunt. Ideo enim 12. legatos elegit, qui mittendi erant primò ad oves deperditas de domo Israël, & postea ad verum & Spiritualem Israëlem in toto terrarum orbe congregandum. Ad hanc quoque rationem ipse CHRISTUS alludere videtur, Matth. XIX. 28. Sedebitis super 12. sedes, judicantes 12. tribus Israël. Quam sententiam etiam præprijis approbat Henr. Giesbertus in Deut. Harmon. Israël. c. 1. n. 23. p. 78. Non autem hocce officium ad 12. illos discipulos tantum referas, cum & Paulus & Jacobus Frater Domini inter principes Apostolos numerentur. Si enim characteres τῶν ἀποστόλων à Spanbemo in Diss. de Apostolatu & Burmanno in Diss. de Apostolis præscriptos cum Jacobo & Paulo conferas, inter vere sic dictos Apostolos numerabis. Licet Spanbemius l. c. & Gerbard. in Harm. Evang. l. c. p. 407. Jacobum illum Alphæi eundem cum Jacobo Cleophæ sororis matris Domini esse velint ob facilem literarum permutationem. Sed cum ρ & κ non sint literæ unius organi, nam Alphæi dicitur Syris ἁλφαι Cleophæ κληφαι, & Apostolus Paulus I. Cor. XV. 7. à reliquis 12. discipulis sæcernet, non video cur cum ipsis à sententia tot Clarissimorum

B

Viro-

Virorum secedere debeam. Ita enim *Salmasius l. c.* *Hammondus l. c.* *Valesius in l. 1. Euseb.* nec non *Danhauer. in Dramat. S. Aët. 1. Phanom. 3. p. 111.* tres agnoscunt Jacobos, Alphæi, fratrem Domini, & Jacobum Zebedæi. Plura de his Autores laudati scripsere, qui de Apostolis Christianorum ex professo egerunt.

VI. Exposita tandem varia vocis ἀποστόλων significatione, venio ad Judæorum Apostolatam, de quo tum apud Patres, tum etiam Jctos frequens fit mentio. Quamvis Vir Celeberrimus *Campegius Vitringa in Archi-synagogo c. 11. Samuelem Petitem* ideo ignorantia in antiquitatibus Ebraicis accuset, imo stultitia arguat, quod in describendis Synagogarum officiis, *Var. L. Et. l. 1. c. 10.* Juris Pandectas consulat, non vero Ebræorum Scripta, cum cuilibet genti sui mores sint notissimi. Contra vero Pandectarum Conditores, Viri licet Clarissimi doctissimi fuerint, qui animum multa cognitione rerum omnium imbutum habebant, non tamen cogitandum illos mentem suam ad intimam illam contemplatissimæ Sectæ cognitionem applicuisse, ut eam totam uti erat, intellexissent. Sane rudes eos dicit in ritibus Judaicis, quia *l. 4. C. Tb. LXVI. tit. de Jud. & Cæl. Hieros* ut vocant (licet minus recte ut *Cl. Salmas. in notis ad Flavium Vopiscum de Saturnino p. 720. edit. Lugd. Batav.* monet, cum græcam vocem ἱερέως ἱερέω latine declinarint Hieres, Hieri, Hierum. Unde etiam sæpius in titulis legum Archiereum extare invenies) Archi-synagogis præponant, cum tamen illos hisce longe inferiores esse omnibus sit notum. Ad hæc autem rationes *Cl. Reinferdus in Diss. 2. de decem otiosis c. 3.* satis respon-

respondit. Maxima inter hosce Viros longe doctissimos Franeqveræ agitata controversia de decem istis otiosis, quinam illi fuerint? *Cl. Campegius Vitringa* illos Præfectos Synagogæ esse volebat, id quod jam ante ipsum *Doct. Ligifootus in Horis Talmud. in Cap. IV. Mathei* defenderat, quem tamen ut minus recte hunc denarium evolventem refutavit *D. Vitringa*. Unde maxime *Sam. Petitem* arguit, qui suum otiosorum denarium perturbare videtur, dum τῆς ὑπέρας διασπορᾶς Synagogarum Præfectos enumerat. Nolo impræsententi ejus argumenta afferre, cum prolixius eadem *Laud. Reinferdus l. c.* rejecerit, ad quem L. B. remitto. Quare nobis veniam dabit Vitringa si ex Jctorum Pandectis nomen hocce Apostolorum, non leges, exposuero, & quidem pace Jctorum ordinis. Merito quidem ipsi cum *Cl. Reinferd.* concedo ritus & antiquitates Judæorum, non ex Jctorum libris solum esse discendos, id quod nec fecit *Petitus*, sed si cum Judæorum ac Patrum Scriptis conferantur, nemo erit, qui nos ideo reprehendet. Falso sane & *D. Campegius Vitringa* Pandectarum Conditores arguit, quod summa imis confundant, Hieres Archi-synagogis præmittentes, cum in Scholis Judæorum idem observetur ordo. Præponuntur quidem alias Archi-synagogi, cum hi si vocem attendas, sunt summi Synagogarum moderatores. Tamen & hoc recte factum. Notum est enim in lectionibus Sabbathicis in Synagogis peragi solitis Sacerdotes primum legere, deinde Levitas, postremum Synagogæ Præfectos. Notissimus est locus qui occurrit *Cod. Gittim. fol. 59. & apud Maimon. Hilch. Tephil. c. XII.*

כהן קורא בתורה ראשון §. 3. אחריו לוי אחריו ישראל. *Sacerdos primus legit, post hunc Levita, ac tum denique Israëlita* כשכרת ויום טוב ויום הכפורים קוראים אחר לוי תה הממונים על הצבור ואחריהם תה חראויים למנותם פרנסים על הצבור ואחר כך כנו תה שאכותיהם ממונים על הצבור ואחר כן ראשי כנסיות וכל העם. *Qvæ l. c. Cl. Reinf. ita vertit. In Sabbato, festo & die expiationis post Levitas legunt Viri docti, qui profecti sunt Synagoge: post hos Viri docti, qui digni sunt Synagoge præsici Gubernatores: tum filii Virorum doctorum, quorum Patres Synagoga præsunt: & demum capita Synagoge & populus univversus.* Et hunc legentium ordinem adeo religiose observant, ut Sacerdos, licet bonarum literarum peritus, tamen summo præferatur Doctori Israëlita. *Or. Chajim l. c. §. 4.* המנהג הפשוט שאפילו כהן עם הארץ קודם לקרות לפני חכם גדול ישראל והוא שהכוהן יודע לקרות וכו'. *Atque hæc consuetudo constanter obtinet, ut etiam illiteratus Sacerdos legat prior Sapiente Magno Israëlita; quod tamen ita accipiendum est, ut Sacerdos sit legendi peritus.* Sic igitur cum Imperator Constantinus legem daret & Judæis immunitates concederet, id certè non ex se, sed rogatu quorundam Judæorum fecit. Quodsi itaque Judæi Hiereorum & Archisynagogorum causam egerint, ac commendarint, in eaque commendatione hunc ordinem observarint, quis ideo eos ignorantia accusabit? quod eosdem fecutus Imperator ordinem hunc observavit.

VII. Sed ut ad Apostolatam Judaicam revertar, non nisi post urbis excidium, ut Patriarcharum, quibus à latere erant, hocce nomen fuit usurpatum. Cum enim in

in omnes terras, destructa ac funditus everfa Hierosolyma, dispergerentur Judæi, suos sibi elegere Principes, quorum unus in Babylonia, alter in Palæstina inter eos obtineret imperium, quos deinde Patriarchas vocabant. Hi certos habebant Legatos & Consiliarios, qui omnes provincias iis subjectas visitarent, & certam pecuniam ad commune publicum exigèrent. Sunt quidem aliqui, qui hocce ad tempora CHRISTI referunt, inter quos Baronius, qui in *Annal. ad ann. 32. pag. 115.* scribit: *Usitatum nomen fuit apud Ebræos, ut Apostolos illos nominarent, qui assidue versarentur cum summo Sacerdote consulendi gratia, qui & ad ipsum referrent ea quæ sunt in lege; quod etiam ipse sibi legare consueverat ad componendos optimos mores Sacerdotum, ipsas Synagogas inspiciendas, prævios mores corrigendos atque ipsos denique Ministros, qui non secundum legem vixissent in ordinem redigendos, ut ex his colligitur, quæ Epiphanius de Josepho apud Judæos Apostolo agens, contra Ebionæos conscribit.* Eundem errorem erravit Cl. Salmasius in *lib. de Episcopis & Presbyteris contra Petavium Lojolit. p. 381.* qui cum prius de Apostolatu inter Judæos recepto egisset, cujus mentionem facit Epiphanius mox citandus, addit: *Nomine hoc generali, sed usitato in Judea ad similia mittendariorum, ut infima latinitas dixit, exemplum, CHRISTUS discipulos, quos in omnes orbis partes ad prædicandum verbum suum misit, Apostolos, i. e. אלוהים appellavit, modesta & humilitatem spirante appellatione.* Sed quam crassum commiserit errorem Baronius & cum eo Salmasius satis ad oculum Cl. Casaubonus in *Exerc. XIII. an. 32. n. 2. 3. p. 274.* ostendit. Respexerunt illi summum Sacerdotem & ad tempora CHRISTI historiam ab Epiphanio memoratam referunt, cum tamen nihil

commune Sacerdos summus cum sic dictis Patriarchis habeat, & suis tantum temporibus, quæ Epiphanius scribit, acciderint. Quare falsum oppido est, Dominum nostrum cum discipulos suos ἀποστόλων titulo insigniret, hanc appellationem respexisse. Nam extra dubium positum est, Dominum tunc temporis Syriacè fuisse locutum & ἰουδαίους suos 12. discipulos appellasse, quos deinde Evangelistæ, qui græcè scribebant, ἀποστόλους dixerunt. Quamvis non absolute negem, si Syriacam vocem attendas, Judæorum tunc temporis in Synagogis usum respexisse, qui suos habebant nuncios, quos רבנים ἰουδαίους ministros Ecclesie vocant, ut ut maxima in officio sit diversitas. Hi enim in orando populum præeunt, distincti ab iis, qui negotia Synagogæ procurant, ut Cl. Reinsferd. l. c. p. 81. ex Josepho Berach. f. 24. contra Cl. Ligistotum evincit. Sed græca vox apud Judæos plane eo tempore nec post fata Epiphani in usu fuit, cum Autor Aruch vocis illius nunquam injecerit mentionem, quod tamen non omisisset, si inter Judæos fuisset usu recepta. Hoc quidem fatemur Ebræos Hellenistas nominibus πάρι-
αρχα & ἀποστολα fuisse usos, idque nec negare possumus, sed ipsos inter se Duces ita appellasse plane non verisimile videtur; alias enim ejus appellationis vestigium exstaret in scriptis Rabbinorum. Nec in eo B. Gerharo l. c. p. 404. assensum præbere possumus, qui existimat, Judæos post tempora CHRISTI eam appellationem τῶν ἀποστόλων ad suam politiam traxisse. Infensissimo enim odio in Christianos hanc denominationem rejecissent, cum præterea omnium Doctorum sententia Christianos titulos inter Judæos receptos

ptos sibi vendicasse, ut modo eos allicerent, non vero unquam id de Judæis legimus, qui non salutem, sed mortem Christianorum quærebant. Quando vero Josephus usurpat vocem ἀποστολα pro ἀποστολή missione seu mittendi actu eandem accipit. Quod Epiphanius τῶν καλεμένων ἀποστόλων, Heres. 30. contra Ebion. faciat mentionem, ita explicandum videtur, quasi diceretur iis nominibus istos appellari à Judæis, quæ græcis vocabulis respondeant. Sic Polybius l. VI. in descriptione armorum Romanæ. Χάλκωμα σπιθαμιαίων πάνη πάντως προσήθηται πρὸ τῶν ἑρῶν, καλεσι δὲ καρδιοφύλακα. Eream laminam duodecim ab omni parte digitorum pectori apponunt, & cordituum seu pectorale vocant, ad verbum est, & vocant Romani eam laminam καρδιοφύλακα. Sed num Romani græcâ illâ voce usi? minime, sed tali appellant verbo, quod si græcè illud vertas καρδιοφύλακα recte dixeris. Ita verba Lucæ Cap. VI. 13. accipienda ἕς καὶ ἀποστολῶν ὀνόμασι, quos & Apostolos nominavit, h. e. ἰουδαίους eos vocavit Syriacè, quæ vox idem cum græca voce ἀποστολοι significat.

VIII. Ex his origo constat, quando nimirum inter Judæos obtinuerit apostolica hæcce dignitas, necesse jam erit, ut officium ac dignitatem τῶν ἀποστόλων describamus. Diximus jam superius illos à consiliis Patriarchis suis fuisse, unde non erraverim, si horum prius dignitatem describerem, ut eo melius de Apostolorum officio deinde judicare possimus. Quemadmodum vero de Apostolis jam evictum, sic etiam hi ultimis temporibus Hierosolyma destructa principatum inter illos obtinuerunt. Et secundum du Pin in Antiqv. Eccles. Discipl.

p. 9. primum hicce honoris titulus inter Judæos notus fuit, quem deinde Christiani in sua Hierarchia usurparunt. Meminit *Origenes* cujusdam Patriarchæ Huilli, cujus etiam *Hieronimus* ex eo *Apol. adv. Ruffin. c. 3.* mentionem facit, quod Alexandria tunc temporis extiterit. Sic & *Epiphanius Har. 30. contra Ebion. §. 11.* quendam Patriarcham Juda dictum commemorat. Συμβέβηκε γὰρ αὐτὸν τὸν Ἰωσήφον μετὰ τὸ ἀδρυθῆναι ἰδῆναι τὸν πατριάρχην ὃν προοιπομεν (τάχα γὰρ ἔτι ἐλέγετο) ἀμοιβῆς ἕνεκα γέρας τῷ Ἰωσήφῳ τῆς ἀποστολῆς δῆναι τὴν ἐπικαρπίαν, καὶ μετ' ἐπιστολῶν ἔτι ἀποπέμψαι εἰς τὴν Κιλικίαν γῆν. Per idem tempus cum jam Patriarcha Judas (ita forte vocabatur) ad robustam aetatem pervenisset apostolatus honore ac commodis Josephum, de quo jam diximus, exornat, inde cum literis in Ciliciam mittitur. Antecessoris hujus Hillelis paulo ante quoque meminit *Epiphanius §. 4.* Πατριάρχης καὶ ἐκεῖνο καιρὸν ἐκλήλ τὸν οὐνομα ἦν. Erat tum Patriarcha nomen Hillel. Humani hic aliquid passus *Cl. Casaubonus*, qui in notis suis in *Vopiscum de Saturnino* scribit, fuisse etiam inter Gentiles olim Patriarchas. Sed cum hæc assertio nullam in historiis inveniatur fidem, potius *Illustri Petro de Marca in Concord. Imper. & Sacerd. L. 1. c. 3.* *Cl. Salmasio* in notis ad *Vopiscum l. c.* assentimur, qui non nisi de Judæorum Patriarcha hic sermonem esse volunt. *Cl.* quidem *Casaubonus* pro sua sententia corroboranda Gamalielium quendam, qui fuerit paganus, producit, cujus apud *Marcel. Empericum c. 23.* fit mentio. Verum cum id ipsum nomen sit ebraicum satis celebre, nec inter paganos hoc nomine neminem nuncupatum certo constet, satis inde argui potest, ipsum fuisse Patriarcham Judæorum. De hoc etiam legimus

legimus latam legem sub *Theodos. Juniore, l. 22. Cod. Th. L. XVI. tit. 8. de jud. & Cæl.* Quoniam Gamalielus existimavit, se posse impune delinquere, quod magis est crederis fastigio dignitatum, Inlustre Auctoritas Tua sciat, Nostram Serenitatem ad virum Inlustrem Magistratum officiorum direxisse precepta, ut ab eo codicilli demantur honorarie prefectura, &c. Quod si Empirici & hujus legis tempora conferas oppido patebit exinde, hunc Gamalielium eodem cum Marcello tempore vixisse.

IX. Duo autem inter Judæos Patriarchæ obtinebant principatum, quorum unus in Babylonia erat אַחַמַלּוֹתָרְחָא Æchmalotarcha vulgo dictus, alter in Palæstina summi Synedrii Præses & plerumque etiam supremus Academiae Rector quem נַשִּׁיבִּים Principem vocabant. Hunc posteriorem Romani Græciq; Scriptores ceu sibi propiorem & notiozem passim memorant, & Patriarcham appellant. Discimus hoc ex lege XVII. Cod. Just. de Judæis, quæ etiam occidentalibus præfuisse Patriarchas docet, estq; sequens. Judæorum Primates, qui in utriusque Palæstinae Synedriis dominantur vel in aliis provinciis degunt, quacumque post excessum Patriarcharum pensionis nomine suscepere, cogantur exsolvere. In futuro vero periculo eorumdem, anniversarius Canon de Synagogis omnibus Palatinis compellentibus exigatur ad eam formam, quam Patriarchæ quondam coronarii nomine postulabant: & hoc, quod de Occidentalibus Patriarchis conferri consueverat, nostris largitionibus inferatur. *Cl. Godofredus ad l. 1. & leg. ult. tit. all. Illustr. de Marca l. c.* & ex his *Spanhemius in Dissert. de Apostolatu & Apostolis* soli Palæstinae Patriarchas adscribunt, & non nisi in oriente eos regnasse ferunt. Sane

ex historia Talmudica ac Masoretharum fati constat, suam sedem tantum in Babylonia habuisse Patriarcham, qui in Orientem dominatus sit, & præter Hilelem & Judam nullum in historiis invenimus locum, qui narrante Epiphonio in Tiberiade imperium obtinuerunt, alias enim successu temporis Babylonicæ Patriarchæ illis multum prævalere, cum omnes viri doctissimi eò confluerent. Vid. Buxtorf. *Tiberiad. L. I. c. 6, 7.* Supra quidem ex Hieronymo adv. Rufinum cujusdam Alexandrini Patriarchæ meminimus, quem tamen non tam ibi consedisse, quam regnasse velim, cum nullum præter Tiberiensem & Babylonicum Patriarcham sciam. Præter meritum quoque Cl. Godofredus Sam. Petitem carpit ad *l. ult. tit. cit.* ipsum codice Justiniano deceptum in *Leff. Var. l. c.* statuisse, etiam occidentalibus præfuisse Patriarchas cum in *Cod. Theodosiano l. 29. tit. cit.* legatur non absolute occidentalibus, sed occidentalibus partibus Patriarchis. Sane cum adsit veritas historica, Tiberienses in occidentem, & Babylonicos in orientem dominatos, firma manebit thesis nostra, commodo instituto legum examine.

X. Nec in eo Cl. Godofredo assentiri possumus, ad *L. 1. Cod. Th. tit. cit.* plures uno in Palæstina fuisse Patriarchas, quorum alii aliis superiores, alii contradictioni aliorum fuerint subiecti. Suam sententiam probat Cl. Godofredus ex *bac l. 13. tit. cit.* *Judas, sine obstricti ceremoniis suis: Nos interea in conservandis eorum privilegiis veteres imitemur, quorum sanctionibus definitum est, ne privilegia bis, qui inlustrium Patriarcharum dittoni subiecti*

sunt

sunt (Archisynagogis, Patriarchisque ac Presbyteris, cæterisque qui in ejus religionis Sacramento versantur) nutu nostri Nummi perseverent, &c. Sed ignoscant nobis cum Cl. Reinferdio *l. c. p. 203.* Viri eruditissimi, si minores Patriarchas, Archisynagogis inferiores, & superiores Presbyteris in Synagoga nullos novimus, quin etiam, si qui in illam invehantur, jubemus exulare. Neque Sam. Petito accedere possumus, qui cum hunc locum *l. c.* malè affectum observaret ita restituendum putavit, ut pro Patriarchisque legatur Patri Hieris; & hic memorentur Archisynagogi, Patres Hieris, ac Presbyteri. Sed Patribus hic locus non est, cum nulli à Presbyteris sint distincti. Altera potius vox retinenda erit, ut legatur Archisynagogus Hieris vel potius Archiereis ac Presbyteris. Hanc enim vocem jam olim usurpatam ex Ælio Lampridio in vita Alex. Severi discimus. Volebat, inquit, videri originem de Romanorum gente trahere, quia eum pudebat Syrum dici: maxime quod quodam tempore festo, ut solent Antiochenses, Ægyptii, Alexandrini laceraverant cum conviciis, Syrum Archisynagogum, eum vocantes ARCHIEREUM. Quæ vocis restitutio etiam Cl. Godofredo ad *L. 13. Cod. Th. tit. cit.* probabilior videtur, approbata ab Epiphonio loco illo notissimo de Hæres. Ebion. §. 1. Πολλὰς τῶν κακῶν κατὰ τῶν Ἀρχισυναγῶγων, καὶ ἱερέων, καὶ Πρεσβυτέρων, καὶ Ἀζανιτῶν τῶν παρ' αὐτοῖς διακόνων ἐρμηθευομένων, ἢ ὑπηρέτων, καθαιρῶν τε καὶ μελακινῶν τῶ ἀξιώματι, ὑπὸ πολλῶν ἐνεκοίλειτο. Cum multos Archisynagogos, Hieres, Presbyteros atque Azanitas, qui ipsis Diaconi vel Ministri dicuntur, loco movisset, multorum in odium incurrit.

XI. Quanta vero horum Patriarcharum dignitas, C 2 quan-

quantaque fuerit majestas ex insignibus, quibus ab Imperatoribus ornati fuerunt, titulis patet. Modo enim spectabiles, modo illustres, modo clarissimos in legibus dictos invenies. *Leg. 15. Cod. Tb. tit. cit. id docet, quando legimus: Cuncta privilegia, quæ Viris Spectabilibus Patriarchis, vel his quos ipsi ceteris proposuerunt diva memoria Pater noster atque retro Principes detulerunt, suum robur tenere censemus. Item l. 8. Cod. Tb. tit. cit. Quos Scil. Primates Virorum Clarissimorum & illustrium Patriarcharum arbitrio, manifestum est habere suam de religione sententiam. Conf. & l. 13. l. c. Quæ dignitas autem non electionis, sed successione jure in alium transferebatur. Sic enim Epiphanius l. c. Ἀδρόνεια ὁ παῖς ὁ καταλυφθεις ὑπὸ Ἑλλήλ εἰς πατριαρχίαν τριφόμενος ἕδεις γὰρ ἄλλοι ἀρπάξει τὰς ἀρχὰς παρὰ τοῖς Ἰουδαίοις, ἀλλὰ υἱὸς πατέρα διαδέχεται. Adolevit Elelis filius pupillus, qui ad spem Patriarchatus educabatur. Neque enim Magistratus officium apud Judæos ullus praripit, sed Parentibus filii succedunt. Vide Petis. l. c. p. 143. & sepius citatum Jac. Godofr. ad L. 1. Cod. Tb. tit. cit. Unde nonnulli Judæorum eos ex tribu Juda derivare volebant, ut adhuc terrenum stabiliarent regnum, & haberent, quæ Christianis objicerent. Ita enim scribit Origenes Lib. IV. c. 1. Dicunt (Judæi) permanere adhuc Principem ex genere Juda, istum videlicet, qui est gentis eorum Princeps, quem nominant Patriarcham, nec desicere posse de semine ejus, qui permaneat usque ad adventum ejus CHRISTI, quem sibi ipsi describunt. Id autem verè negat Cyrillus Hierosolymitanus in Cateches. XII. p. 112. agens de Vaticinio Jacobæo εἰ ἔχουσι τὸν ἐκ γένους Ἰούδας καὶ τὸ Δαβὶδ ἔσω ἦλθεν ὁ προσδεχόμενος; Διχύνεται γὰρ λέγειν αὐτῶν τὰ πρόσφατα περὶ τῶν καλυμένων Πατριαρχῶν πραγματῶν καὶ τὶ*

καὶ τὶ τῶν τῶν τὸ γένος, καὶ τὶ ἡ μήτηρ; καταλυφθόμενος δὲ τῶν Ἰουδαίων. Si habent Principem ex genere Juda & David, nondum venit ille qui expectatus. Vereor enim objicere illis recentia de his quæ nunc apud illos vocantur Patriarcharum instituta. Et quod eorum genus, & quæ mater? relinquo autem illa scientibus. Recte quoque id negat Theodoretus Tom. IV. opp. Dial. 1. pag. 22. ed. Paris. sed parum verè addit omnes istos Patriarchas è stirpe Herodis fuisse. Ἐρ. οἱ καλεῖσθαι μενοὶ τῶν Ἰουδαίων Πατριαρχαὶ ἐκ ἐκ δαυδικῆς ὑπαρχουσι συγγενείας; Ὁρ. ἔδαμῶς. Ἐρ. ἀλλὰ ποῦθεν ἰερουσαλήμ; Ὁρ. Ἐξ ἠρόδου τῆ ἀλλοφύλου, ὅς παρ' Ἰούδα μὲν Ἀσκαλωνίτης ἐτύχαιεν, ὡν μητρόθεν δὲ Ἰδουμαῖος. Ἐρ. Quis ergo Judæorum Patriarcha dicitur, an ex Davidica stirpe non sunt? Ὁρ. Nequaquam. Ἐρ. Unde igitur orti sunt? Ὁρ. Ex Herode alienigena, qui paterna quidem origine Alcalonites fuit, materna vero Idumaus. Imo nonnulli Judæorum fatentur, ipsos non ex hac gente natos, sed ex Gamalielis genere, cujus in Actis Apostolorum fit mentio, eorum originem deducunt. Sic Epiphanius ex Josephi quondam Patriarcharum Apostoli narratione annotavit l. c. §. IV. ὁ δὲ Πατριαρχὸς καὶ ἐκεῖνο καιρὸν Ἑλλήλ τένομα ἦν. Νομίζω γὰρ ὅτι ἕτως τὸ ὄνομα αὐτῆς ἰώσηπτος ἔλεγεν, εἰ μὴ ἀπὸ τῆς χρόνης σφάλματος; Ἐκ γένους δὲ Γαμαλιήλ ἐτύχαιεν, τῆ παρ' αὐτοῖς γενόμενος Πατριαρχὸς. Ἔστι δὲ διανοηθῆναι ὡς καὶ ἄλλοι ἕτως ὑπέδειξον τῆτον εἶναι γένος ἐκεῖνος τῆ πρώτης Γαμαλιήλ τῆ ἐπὶ τῆ Σωτῆρος τῆ κατὰ θεὸν συμβεβηκυῖσάν, ἀποχέσθαι τῆς κατὰ τῶν Ἀποστόλων ἐπιβουλῆς. Erat tunc Patriarcha nomen Eleli, (ita enim & à Josepho nominatum arbitror, nisi me ob temporis longinquitatem fallit memoria) Is è stirpe Gamalielis originem traxerat, qui Patriarchatum apud illos tenuit. Quem etiam suspicari merito possumus ut à ple-

visque proditum est, è primi illius Gamalielis genere esse prognatum, qui sub CHRISTI Domini passionem auctor ejus consilii Judæis fuit, ut à persequendis Apostolis abstinerent.

XII. Hisce jam descriptis Patriarchis indivulsi comites, & à consiliis intimis erant Apostoli. Unde nonnullis iidem esse videntur, qui Ebræis alias dicuntur **אבא פאטר** Pater Consistorii, vel ordinis Senatorii & **אבא פאטר** secundarius Principi, qui dextrum ejus claudebat latus. Id quod Epiphanius manifestè docet, l. c. dicens, **ἔτι γὰρ ἰώσηφου τῶν παρ' αὐτοῖς ἀξιωματικῶν ἀνδρῶν ἐναριθμοῦν ἦν. Εἰσὶ δὲ ἔτι μετὰ τὸν Πατριάρχην ἀπόστολοι καλεῖσθαι. Προσεδρεύουσι δὲ τῷ Πατριάρχῃ καὶ σὺν αὐτῷ πολλοὶ καὶ ἐν νοκτί, καὶ ἐν ἡμέρᾳ συνεχῶς διαγίγασσι, διὰ τὸ συμβαλέειν καὶ ἀναφέρειν αὐτῷ τὰ κατὰ τὸν νόμον.** Etenim hic ipse Josephus ex illorum erat ordine, qui apud Judæos Principem locum dignitatis obtinent: quos quidem secundum post Patriarcham Apostolos vocant. Assident hi Patriarchæ, & cum eo sæpius die noctuque versantur, ut eidem à consiliis sint ac de iis referant, quæ ad legem pertinere videntur. Tantâ autem auctoritate valebant à Patriarcha missi Apostoli, ut penes illos esset jus movendi magistratu & dignitate Primates, Archifynagogos & Hieræos ditionibus Patriarcharum subjectos, si quid deliquissent. Refert hoc de Josepho Epiphanius loco superius allegato. **Ἀνάκρισις** vero illa ab Apostolis quotannis facta est, dum nimirum aurum coronarium à singulis synagogis exigent, secundum l. 14. Cod. Tb. tit. cit. Hic præprimis observandum, ut hujus constitutionis origo atque ratio rectè intelligatur, stante adhuc Hieroso-

lymâ,

lymâ, statò tempore ex omnibus provinciis, per quas sparsi erant Judæi dimidium seclum 6. nostris grossis respondens (vide *Waserum de nummis antiquis Ebræorum c. 5. Corthwigium in notis in Exod. cap. 30. L'Empereur in Cod. Middoth. c. 2. Sect. 3. & alios*) ad Templi ærarium deportasse. Non enim Regibus colligere & coacervare opes licebat, sed omne argentum in commune & publicum ærarium deferebatur: (v. *Schickard. Jus Reg. Cap. III. Theor. XI.*) idque ex institutione divina (*Exod. XXX. 13.*) fuit ordinatum ad res sacras, sive ecclesiasticas, videlicet ad templi structuram vel ornatum, ad sacri ministerii apparatus, & perfectionem, ad Numinis propitiationem, & sui cujusque redemptionem. Sed hoc post in jus versum est, & quotannis primo die mensis Adar, nobis Februario, monuere populum exactores, ut decimo quinto die ad ærarium dimidium illud seclum conferrent. Sic enim legitur *c. 1. Misib. Tract Schekal.* **באחד באדר משמעין על השקלים הכלאים.** Primo die Februarii proclamant propter siclos & propter heterogenea. & s. 3. *hujus capit.* **בחדש עשר כו. שולחנות היו ושכונ במדינה בעשרים וחמשה ישרו במקדש ב. c. ex Collect. Surenhusii Die decimo quinto ejusdem (mensis) in provincia mensa collocantur & die 25. sedent (ad mensas) in templo.** Non autem necesse erat ut semper dimidios afferrent siclos, modo pecuniam ejusdem ponderis ac valoris traderent numulario, qui superaddito dimidio obulo, ipsis **קלון** Kolbon dicto, dabat dimidium siclum, quem in ærarium immittere possent. Sic enim legimus apud *Maim. Schikal. c. 3. tit. à Seiden. L. IV. Juris N. & G. c. 5.* unde **Salva-**

Salvator eos *Matth. XXI. 12.* κολυβίνας vocat. Qui vero plane non tunc temporis præscriptæ pecuniæ summam solvere poterant, ab iis vi exigebant numularii, imo vestes exuebant si non haberent, quod solverent. vide *Tract. Talm. cit. l. c. ex quo Selden. Jur. N. & G. L. IV. c. 5. pag. 508. nec non Lundius in Jüdischen Heiligthum / L. II. c. 25. pag. 330. seq.* Ab hac vero exactiōe nec Levita, nec Sacerdotes liberi erant, præter mulieres, pueros, ac servos, qui hac lege non tenebantur. Unde non mirum, quod apud *Ciceronem in Orat. pro Flacco* legamus omne aurum Hierosolymam deportari, *Cum aurum inquit Judæorum nomine quotannis ex Italia & ex omnibus vestris provinciis Hierosolymam exportari solet.* Sane non tantum à suis, sed etiam à Gentibus si vellent conferre hanc pecuniæ summam accipiebant numularii. Unde Imperatores hancce insolentiam Judæorum intermittendam acerrimè madarunt. Qualia Imperatorum & Principum decreta apud *Joseph. L. 16. c. 10. Antiqu. Jud.* multa invenies. Eundem Siclum numularios hosce à CHRISTO *Matth. XIII. 24.* petiisse multi sunt, qui affirmant. Ita *Schikard. de Jure Reg. l. c. & Cl. Ligefotus in b. l. & alii apud Selden. L. VI. c. 17. de Jure N. & G. nec non Lundius l. c. statuerunt.* Contra vero *Seldenus l. c. & cum eo Cl. Wagenesl. ad Miscb. tract. Soc. c. 1. Sect. 4.* & alii, tributum cæsarianum à CHRISTO petiisse exactores pluribus defendunt. Horum sententias primum *B. Seb. Schmidius in Dissut. sua de didrachmis à CHRISTO solutis & ex eo B. Carpzovius in notis ad Schikard. Jus Reg. l. c.* inter se conferre allaboravit, docens, non tantum ad Petrum venisse exactores sicli templo solvendi, sed & census Imperatori Tiberio dandi,

dandi, & de utroque siclo seu didrachmo quæsitivisse, annon JESUS solveret?

XIII. Eodem modo suis temporibus Patriarchæ per Apostolos aurum, coronarium à Romanis appellatum, exigebant. *sec. leg. 14. Cod. Tb. tit. cit.* Dicitur autem illud coronarium ad similitudinem illius, quod Imperatoribus offerebatur, de quo peculiari *L. XII. Cod. Tb.* agitur. Prima vero auri coronarii origo inde manavit; quotiescunq; Romanorum Duces rem feliciter gessissent, provinciæ, sociæque civitates, Regesq; etiam amici, vel fœderati dono darent illis coronas aureas, vel auri pondo tot, quod appellatum est aurum coronarium. Vid. *Godofr. Comment. in Leg. l. XII. Cod. Tb. tit. 13. de Auro Coronario.* Inde ad suum usum illud adhibuerunt Judæi forma licet profana & gentibus usitata signatum. Florente quidem Politia Judaica numis non nisi sacra imagine notatis utebantur Israëlita, cum vero sub Romonorum venirent potestatem, etiam pecuniam Imperatorum imaginibus insignitam ad usum adhibuere communem. Id quod pluribus ostendit *Seldenus l. c. L. II. c. 8.* Hocce autem aurum quotannis eodem tempore, quo à numulariis dimidiis exigebatur siclus, per Apostolos ad ærarium Patriarcharum deferebatur. Primis quidem temporibus sponte sua in locum primitiarum, quas summis Sacerdotibus offerre consueverant Judæi, hocce aurum amore proprio apportabant, quod tamen postea maximo cum rigore ab omnibus quæsitivere, licet non alia lege, quam consuetudine, possent cogi. Quam injustitiam, suumque ærarium eâ exhauriri

cum cernerent Imperatores, ad tempus Apostolis, hocce aurum ne exigenter, interdixere. Prout ex constitutione Arcadii atque Honorii l. 14. Cod. Tb. tit. cit. discimus; Superstitionis indigna est, ut Archisynagogi, sive Presbyteri Judaeorum, vel quos ipsi Apostolos vocant, qui ad exigendum aurum atque argentum à Patriarcha certo tempore diriguntur, à singulis Synagogis exactam summam, atque susceptam ad eundem reportent. Qua de re omne quicquid considerata temporis ratione confidimus esse collectum, fideliter ad nostrum dirigatur erarium. De cetero autem nihil praedicto decernimus esse mittendum. Noverint igitur populi Judaeorum removisse nos deportationis hujusmodi functionem. Quod si qui ab illo depopulatore Judaeorum ad hoc officium exactiois fuerint directi, iudiciis offerantur, ita ut tanquam in legum nostrarum violatores sententia proferatur. Sed jus istud immutatum iisdem Imperatoribus auctoribus. Nam anno quinto post hanc constitutionem, altera ad Hadrianum P. P. data, potestatem fecerunt Judaeis, coronarium mittendi ad Patriarcham l. 17. l. c. Dudum iusseramus, ut ea, quae Patriarchis à Judaeis istarum partium ex consuetudine praebantur minime praebentur. Verum nunc amota prima iussione secundum veterum Principum statuta, privilegia, cunctos scire volumus Judaeis mittendi copiam à Nostra Clementia esse concessam. Sed non diu modus exigendi per Apostolos coronarium duravit, extinctis enim Patriarchis ipse quoque Apostolatus desit. Suo jam tempore non amplius extitisse Patriarchas testatus Theodoretus loco superius allegato. Sic anno 429. à CHRISTO nato, Florentio & Dionysio Coss. jam plane desuisse ex Leg. 29. Cod. Tb. tit. cit. aperte constat. Primates quidem extinctis tunc Patriarchis Principes Judaeorum

rum denominatos, & juribus Patriarcharum fuisse usos Cl. Godofredus defendere conatur ad L. ult. Cod. Tb. tit. cit. Unde, inquit, ex illa lege admodum, quod secundum colligo Patriarchas Judaeorum nullos fuisse, electosque deinceps Primates: sic ut cum successionis jure & Πατριάρχας Patriarchatus deferretur. Ast ex Lege 8. superius allegata ad oculum patet Patriarchis jam imperium obtinentibus etiam Primatum dignitatem in Synagogis Judaeorum obtinuisse. Arbitrio enim Patriarcharum cuncta in istis gubernabant. Unde quod ad Leg. ult. attinet jam probatum dedimus, illos jam Theodoretum temporibus desuisse, sed num tum demum Primates fuerint electi, & in locum ipsorum successerint, id est quod negamus. Plane enim familia Hillelis extincta etiam Patriarchatus desit, & jura ipsius ad se traxere magis magisque Imperatores.

Vid. Buxtorf. Tiber. l. c.

S. D. G.

SUMMARIA.

- §. 1. De varia vocis Apostoli significatione eaque vel adjectivae, vel substantivae usurpata, utraque apud Graecos, hac vero denominatione apud Hebraeos recepta agitur.
- §. 2. De Personis plerumque vocem Apostoli usurpari demonstratur.
- §. 3. Evincitur CHRISTUM non has attendisse significationes, dum Apostolos suos vocaret discipulos. Eaque occasione Grotius, Hammondus, Campegius Vitringa, & le Moynes notantur, quod dignitates in Ecclesia obtinentes, ex Synagogis Judaeorum derivare allaborent.
- §. 4. Agitur de nominibus ebraicis, quae graeco vocabulo ἄποστόλος respondent, ut משיח מלך & מלך, simulque redditur ratio quare eos משיח missos, non מלאכים Angelos nominavit.

§. 5. Duo.

- §. 5. Duodecim Apostolos tantum precipue titulo Apostolico gaudere docetur, simulque etiam eorundem Adjutores hoc titulo insignitos probatur, nec non controversia, de Episcoporum autoritate super Presbyteros, ac eorum dignitate, quam preferunt, Apostolica, paucis examinatur, itemq; de duodenario Apostolorum numero ejusq; ratione, & de tribus Jacobis agitur.
- §. 6. De Judaeorum Apostolis agit, contra Cl. Campegius Vitringam Sam. Petium defendit, ac legum Conditores ab ignorantia in antiquitatibus Judaicis vindicat.
- §. 7. Tempus quo florere Ebraeorum Apostoli indicat, & in hoc errorem Baronsii & Salmasii refutat.
- §. 8. De Patriarchis Ebraeorum quibus à consiliis erant Apostoli eorumq; tempore tractatur. Casauboni error rejicitur, docentis, quod etiam apud Gentiles olim fuerint Apostoli.
- §. 9. Duos tantum Patriarchas, unum in Palestina, alterum in Babylonia fuisse ostenditur, & non tantum in Orientem, sed & Occidentem eos regnasse docetur.
- §. 10. Non uno plures contra Godofredum in Palestina fuisse Patriarchas ex legibus commoda vocum facta restitutione probatur, rejecta Petiti emendatione.
- §. 11. De Dignitate & Prosapia Patriarcharum agitur.
- §. 12. De Dignitate & Officio Apostolorum Ebraeorum tractatur. Qua occasione de exactione annua dimidii seculi de non colligendis opibus in Thesaurum Regum agitur. Explicantur dicta Matth. XIII. 24. Cap. XXI 12.
- §. 13. De Coronarii exactione ac origine agitur, etiam forma profana numos Judaeorum insignitos, ex Seldeno docetur. Modo interdictam, modo ab Imperatoribus hanc exactionem confirmatam probatur. Tandem interitus ac finis Apostolorum & Patriarcharum indicatur, Primates autem eorum in locum demum electos esse negatur.



WBP
Opole